

toties superatus fuerit, quoties eum invalit *Matth. IV, 3.5.6.8.9.*  
 Sic in Jobi afflictionibus, quas ex divino permisso à Satana  
 legimus excitatas, non contentus erat Diabolus bonorum ejus  
 liberorumq; , quem procuraverat, interitu, quin alio præterea  
 tempore rediens Jobi etiam corpus dirissimis cruciatibus affe-  
 cit. *Job. II, 7.8.* Conf. *Ursinum in Analest. Sacr. Vol. II. Lib.*  
*IV, c. 18.*

P O R I S M A    I V .

*Musica tam Vocalis, quam Instrumentalis DEO grata ac  
 proinde in publico ipsius cultu adhibenda est.*

**N**on diffitemur, quod hæc Thesis non adeò directè è no-  
 stro Textu fluat, interim tamen per Consequentiam haut  
 nimis longè petitam inde deduci potest. Dum enim David  
 citharâ lusit, & prout veritati consentaneum esse diximus, sa-  
 cros etiam hymnos devoto ore recitavit, ut ita per hanc ipsam  
 Musicam Spiritus malus à Saule pulsus fuerit, omninò con-  
 stat, quod Deus delectetur Musicâ, siquidem & ei effectum  
 optatum largitus est. Et quanquam nonnemo vellet excipe-  
 re, posse aliquid inservire ad propellendum Dæmonem, quod  
 eapropter Deo gratum non sit. Respondemus tamen, bene-  
 placitum divinum exinde colligi, quod clementer preces Da-  
 vidicas, quas Musicæ immiscuit, exaudiverit, uti eventus post-  
 modum docebat. Jam verò Deus non exaudit eas preces,  
 quas homo ad ipsum fundit alio modo, quàm qui in S. literis  
 revelatus est. Atque nunc clarè consequitur, quod illud, quo  
 Deus aliàs delectatur, si privatim ei cultum exhibemus, ipsi  
 displicere non possit, si in Templis etiam, ubi publicè colitur,  
 illius rationem habeamus. At hæc ingentes turbas quoad Mu-  
 sicam præcipuè Instrumentalem movent Calviniani, qui nullo  
 modo Lutheranorum approbari posse docent institutum, quo  
 Organa in suis Templis retineant. Ita *Pareus* ad 1. Cor. XIV.  
 p. 599. *In Ecclesia, inquit, excitandus est animus ad Deum & leti-  
 tiam spirituales non tibiis, tubis, tympanis, quod veteri dura cervicis  
 & stupida mentis populo Deus olim indulsit: sed sacris Canticibus,*

K 2

psal-

impia